

sunt nostro intrinsecus¹ renovata, quanto iuxta datum vobis desuper spiritum sapientie et intellectus vos gerere zelum² fidei Christiane non ambigimus ad iusticie rectitudinem dirigendam, quanto in regimine reipublice inbecillitatem filialem paternis suffragiis speramus fiducialiter sublevandam potentissime, cum ea, pater beatissime, de admirabili creatione vestra precordiis nostris tenaciter infixam sit fiducia, cum revera verisimiliter intimis nostris sit³ ea impressa presumpcio, quod, sicut ex humane infirmitatis operatione non prodiit, sed ex spirata inspiratione spiritus paracliti ad supportandam huiusmodi regiminis sarcinam celestis altitudo consilii vos elegit, sic etiam nosmet ipsi, dum pristina vite nostre statum revolvimus et divinorum iudiciorum in nostre consideracionis speculo speculamur abissum, in forma consimili, licet impari, merito nos sentimus non instantes, immo omnino nescios, excluso totaliter cuiuslibet gradus alcioris ambitu⁴, divinitus ad Romane monarchie molimina dirigenda provectos, quodque in minori officio constituti personam nostram gratuitis, ut fidedigna relacione cognovimus et prout apostolice littere nobis nuper directe, quas cum mentis hilaritate et devocione solita recepimus et pro speciali solacio reservamus, evidencius explicant, fuistis favoribus, nullis nostris meritis precedentibus, sed ex solis⁵ vestre benignitatis virtuosis instinctibus prosecuti, que quidem littere inter cetera continebant: 'De⁶ nobis autem, utpote patre⁷ benivolo et sincero, qui personam regiam in minori etiam officio constituti affectuose dileximus et diligere non cessamus, spem certam et fiduciam gerentes in tuis ac eiusdem regni negociis et oportunitatibus, que occurrent, ad nos recurrere non postponas. Nam in hiis, super quibus ex parte regia fuerimus requisiti, libenter, quantum cum deo poterimus, votis regiis annuemus, tuam et eiusmodi regni prosperitatem omnimodam non solum studiis conservare sollicitis, sed etiam plenius augmentare⁸ favoribus intendentes'. Hac igitur paterna consolacione recepta, cum, pater clementissime, vos elegit altissimus, ita quod de terra iam orta sit veritas⁹ prospiciente de celo

1) 'intrinseca' Hs. 2) 'celum' Hs. 3) 'ex' Hs. 4) 'ambita' Hs.
 5) 'solo' Hs. 6) Der folgende Passus stimmt fast wörtlich überein mit dem Schluss der Krönungsanzeige Papst Bonifaz' VIII. an König Eduard I. von England und an König Philipp IV. von Frankreich vom 24. Januar 1295, vgl. oben S. 493, N. 3 und S. 494, N. 1. 7) Fehlt Hs.; aus dem Schreiben an König Eduard I. von England und an König Philipp von Frankreich (s. vorige N.) ergänzt. 8) 'augmentacione' Hs. 9) Ps. 84, 12: 'Veritas de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit'.